



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Exosculatur statûs sui vestem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Exoscula-  
tur status  
sui vestem.*

scriptum, vestibulque Religionis indutum, arguit insignis quidam pietatis actus, quem manè, inter vestiendum quotidie exercebat, imitatu dignum, atque his ab eo verbis expressum: *Cum tunicam tenebis manu, prius quam induaris, exosculare, letus te etiamnum dignum esse, qui vestiarius insignibus Christi.* Atque hunc amorem erga Societatem eiusque vestem ad vltimum vsque vitæ spiritum conferuauit; petita etiam in eâ veste moriendi facultate, vti mox referetur. Excellens hæc de Societate opinio, ardensque in eam affectus, non solum illi conciliabant summam in eâ viuendi quietem atque oblectationem, sed & suauissimam sæpè teneritatem, quam semel iterumque mihi significauit, scriptoque expressam reliquit. Ac primùm quidem, mense Decembri anno M. DC. XX. his me verbis compellauit: *Contentissimus viuo in vocatione meâ, & magnam sæpè sensi animi teneritudinem erga Societatem.* Iterùm, mense Iunio anni M. DC. XXI. prius ferè bimestri quam è viuis abiret, *Viuo, inquebat, maxime contentus: numquam, laus Deo, tentatus fui; & hoc semestri talem affectum sensi erga Societatem, qualem numquam antea.*

Dicere solebat, sperare se, duabus præcipuè rebus Societatem diu incolumem fore. Primâ, quòd malis omnibus in eâ pateret ad dimif-



dimissionem ianua. Alterâ, quòd bonis omnibus præclusa esset ambitionis via, per dignitatum abdicationem, quas accipere Professi non possent, vt neque ab Ordine dimitti; quas ob res Societati gratulabatur. Augurabatur Societatis numerum ad sexdecim aut octodecim capitum millia peruenturum; amplius nihil esse necesse: nam si excederet, agre feruatum iri disciplinam, difficilemq̃ fore in tantâ multitudine gubernationem.

Iam, vt i amabat Matrem, ita & filios complectebatur honorabatq̃, & res eius ceteras omnes: quod sequentibus indicijs intelligitur. Qui semel ei præfuerat, is perpetuò ab eo amabatur, colebaturq̃ perinde atque adhuc cum imperio præflet. Tantâ ei erant in opinione Sacerdotes, vt inter ambulandum, seu domi seu foris, dimidio palmæ spatium ab ijs retrò distaret, ne eorum latera vicinitate exæquaret; ijsq̃ præsentibus pauca, nec nisi verecunde proferebat. Quoties domi Sacerdos aliquis ætate grauior occurreret, decedebat aliquantum de viâ, morabaturq̃ tantisper, aperto inclinatoq̃ capite, dum Sacerdos transisset, tumq̃ ille pergebat.

*Amabat,  
venerabaturq̃, homines omnes Societatis.*

De Professis Patribus ita scripsit: *Professorum ero obseruantissimus; vtpote quorum gradus plus mereretur honoris. Si quem Societatis*